

DISSERTATIO HISTORICO  
POLITICA  
De  
**CONDOMINIIS**  
**SUPERIORIS ÆVI**  
**SVETHICIS,**

Qvam

*Consensu Ampliss. Fac. Phil. Acad. Aboensis.*  
**PRÆSIDE**

*VIRO CL.*

**M. ALGOTHO A. SCARIN.**

*Histor. & Polit. Prof. Reg. & Ordin.*

*Pro Honoribus Philosophicis*  
ad diem 21. Junii MDCCXXIX,  
*publice examinandam sif tet*

**FABIAN N. GUDSEUS.**

*Nylandus.*

*loco & horis consuetis.*

---

ABOÆ

*Excud. R. Acad. Typ. Joh. Kiämpe.*

ДИАРЕЯ  
ПОЛІО

СИДОМІНІ  
СІДОМІНІ  
СІДОМІНІ

6 KETZIDEL

35.0815

# THE ALGOTHO ASCARIN

Digitized by Google

## Pro Hono et Pro Pia

29 quatuor et Juniti MDCCXLIX

សាស្ត្រ ពិនិត្យនាមខ្លួន ការងារ

## ABIN NGUDSEU

Digitized by srujanika@gmail.com

દ્વારા વિગત માટે જો અનુભૂતિ

306A

*Exhibit L. Acet-Jay, Joe Kimmel*

# SYNOPSIS

## CAPUTIS I.

### §. I.

- Viam ad propositum sternit  
§. II. Varias Condominiorum species, hujus non tractationis, premitit.  
§. III. Condominium Clericorum & Laicorum praecipuum tractationis objectum esse assertit.  
§. IV. Clericorum in Suebia Condominium probat jurisdictio civilis ab ipsis exercita.  
§. V. Arces & munimenta illos, more principum, habuisse ostendit.  
§. VI. Immunitatem & tributis & collationibus civilibus sibi assertuere.  
§. VII. Episcopis perinde atq; principibus multas olim pecuniarias solutas fuisse demonstrat.  
§. VIII. Curam publicam instituende juventutis patriæ, principibus detraxisse docet.  
§. IX. Partes muneris sui migrasse in aliis quoq; ostendet.  
§. X. Presertim in secularibus.

## CAPUT II.

- §. I. Viam aperit ad subsequentem tractationem.  
§. II.

§. II. De segregum familiarum Capitibus, eorumq;  
pristina maiestate domestica agit.

§. III. Romanorum imperium non mere privatum,  
sea ex parte etiam publicum fuisse, antequam  
in unius principis imperium omnes transferint,  
ostendit.

§. IV. De potestate apud Romanos aliasq; gen-  
tes, herili, instructa jure vitae & necis,  
breviter loquitur.

§. V. Exemplis nonnullis probat, eandem etiam in  
Shestia obtinuisse.



# CAPUT I.

## §. I.



Icut calamitosam &  
& non satis deplorandum hominum in statu anarchico viventium  
deprehendimus conditionem; ita fu-

nestissima omni tempore & tristissima ejus reipublicæ facies est, cuius sacra imperii *independent*i potestate nonnulli privatim sibi vindicant, & non ab una *anima*, uno imperio summo, indiviso & indivulso administrantur. Ultriusqve status & imperii ita comparati non aliis sperari potest finis, quam necessaria quædam civilis concordia distractio, quam deinde, serius an citius, excipit membrorum primum, mox to-

A

tius

rius corporis politici , puta civitatis  
 solutio & fœdissimus interitus. In pri-  
 ori enim , ubi nemo alium agnoscit  
 superiorem , nemo aliam per omne m  
 itæ rationem admittit legem , qvam  
 suum ipsius arbitrium & pravam vo-  
 luntatem , summa non potest non  
 existere omnium rerum confusio ,  
 summa crudelitas , summa rapacitas .  
 In posteriori vero , ubi summa im-  
 perii a diversis statibus aut personis  
 physicis , puta familiarum Dominis  
 aliisve administratur , ita ut pro-  
 prio ausu atqve auctoritate , sine ul-  
 la dependentia ab unica eadem qve  
 suprema civitatis majestate , omnia  
 decernere & efficere concessum fu-  
 erit , manifesto certe periculo inco-  
 lumentatis suæ , omnes opinione ci-  
 tius exponuntur Cives . Exempla sta-  
 tus civitatis in utroqve genere affli-  
 ctissimi , cum ex sacris tum qvoqve  
 rerum civilium annalibus plurima  
 suppetunt . Sentiit maximo suo ma-  
 lo anarchiæ horrenda incomoda respu-  
 blica Israëlitarū , cum adversus omne  
 imperium Div. contumax , opprimeret

in populo alter alterum, superbiret in se-  
 nem puer & vilos in honoratum (a). Sen-  
 tiebant crebro Romani quoq; cum a-  
 liis temporibus, tum in primis sub in-  
 terregno illo magno, in quo nullius  
 subjecti imperio, nullius parentes  
 legibus, atrocissima scelera funestaq;  
 latrocinia invicem exercebant status  
 & Cives imperii. *Monstrosam & irre-*  
*gutarem*, si quæ alia, formam, qua-  
 lem modo descripsimus & in seqven-  
 tibus exponere instituimus, præter  
 alias orbis partes, etiam in *Svetbia*  
 superioribus temporibus obtinuisse,  
 fides historica dubitare nos certe  
 non sinit. Quæ vero mihi per sum-  
 mam temporis angustiam de indeole  
 & habitu illius observare & collige-  
 re licuit, in seqventibus, L. B., pa-  
 gellis breviter ob oculos sistere a-  
 nimus est, nullus desperans, qvin  
 pro favore & humanitate tua, qvic-  
 qd in argumento tractationis ar-  
 duæ & implexæ, non ex omni par-  
 te limatum perfectumque inveneris,  
 æqui bonique consulas, saltem pa-  
 trocinium veritatis, sine acerbitate

aut lādendi vōlūntate suscep̄tūm,  
non sinistra interpretatione distrin-  
gas.

(a) *Esa. III, 6.*

### §. II.

**V**ocabulum *Condomini* qvid signi-  
ficet, nemini licet, qvi in  
*politices atrium* vel per transennam  
introspexerit, ignotum esse possit,  
ut tamen confestim & in limine sta-  
tim pateat ratio illius *Condomini*,  
de quo nos in præsenti opella actu-  
ri erimus, præcipuas *Condominiorum*  
species præmittemus & saltem re-  
censibimus. Non enim nostræ in  
præsentia considerationis objectum  
est illud sive publicum sive priva-  
tum *Condominium*, quo unius rei sub-  
stantia eodem modo pertinet ad plu-  
res, singulisqve de eadem, cum ex-  
clusione ceterorum, disponendi po-  
testas nullo modo competit. cuius-  
modi in navibus onerariis, qvas  
collata pecunia, instruere solent mer-  
catores, luculentum habemus e-  
xem-

xemplum. In rem & familiam privata-  
tam mariti & uxoris *Condominium*  
huc quoque non incommodè referri  
potest. A re simplici & privata in  
remp. accedentes, illud quoque  
missum facimus *Condominium*, quod  
sibi per vim aut fraudem identi-  
dem vindicare solent civium non  
nulli in universam civitatem, cuius-  
modi illustre exemplum est Trium-  
viratus Romanus, ubi purpurati tres  
sumam potestatem pro se quisq; inde-  
pendenti jure administravit. De qua  
Romani imperii forma informi ex in-  
stituto Boëclerus (b). Porro sub voce  
*Condominii*, de forma reipublicæ *Aristo-*  
*cratica* & *Democratica* neq; dictū qvid-  
quam volumus, ubi plurimum per-  
sonarum physicarum concilium u-  
num constituit principem, & in pu-  
blicam utilitatem animo & senten-  
tia una incumbit. Quid? quod neque  
eiusmodi *Condominium* ad nos perti-  
net; quo in forma reipublicæ irregu-  
lari, partes summi imperii, aliæ  
huic, aliæ alii subjecto radicaliter in-  
sunt: cuiusmodi *Condominii* me-  
dos & exempla varia Grotius recen-  
set.

*set (c).* Denique circa illud genus Condominii aut si mavis Coimperii neque nostra versabitur opera, quod in *forma* reip. *irregulari* itidem non raro obtinet, & in quo regni ordinis ceu subjectum majestatis communis, ob periclitantem in *forma* regulari non raro libertatem patriæ, majestatem Regis ceu accidentalem ejusmodi alligavere conditioni, qua ad exercendas principales majestatis partes non admittitur, nisi præreqvisito ordinum suffragio, & quo impetrato deinde acquiescat, siue illius judicio conveniat, siue eidem repugnet. Et cuiusmodi in nostra republica hodie imperii & subjectionis temperamentum, saluberrimo instituto, invaluit.

*(b) Dissert. Acad. de Triumv. p. m. 717.  
seq.*

*(c) De J. B. & P. LI. III. 17.*

### §. III.

**H**Isce remotis non nostræ translationis Condominii generibus, quam

quam tractandam nobis suscepimus.  
*Condominii* speciem, dicimus talem esse reipublicæ habitum, ubi vel certi status, vel privati cives nonnulli jura majestatis civilis vel omnia, vel saltem nonnulla, independenter a majestate civili sibi vindicarunt olim, & hodienum multis in locis vindicant. Exempla qvæ olim in republica Romana veteri alibique passim usu venere, leviter saltem in seqventibus attingemus: Illustria illa in Svetlico imperio saltem visuri, qvæ rempublicam tantis & tam diutinis cladibus afflixere: *Laicorum* & *Clericorum*: Qvos inter, cum olim in privatis familiis suis illi, hi vero universitati ecclesiasticæ suæ asseruere partes imperii civilis modo singulas, modo etiam universas, non potuit non morbida & justæ incolumitatis suæ minus secura existere respublica.

#### §. IV.

**C**lericos præsertim *Episcopos* veteris ecclesiæ *Condominium* cum Prin-

Principe Civili exercuisse, notissi-  
mo notius est. Illud ut clarior con-  
stet, age, præcipua jura, seu par-  
tes essentiales Majestatis civilis ex-  
cutiamus. Omnia enim recensere  
eorundemque cum juribus præten-  
si condominii Clericalis parallelis-  
sum instituere, angustia temporis  
summa non permittit. Principis in-  
ter jura eminere novimus jus *san-*  
*ciendi leges*, h. e. moralitatem adji-  
ciendi illis hominum actionibus,  
qvæ nullo Divinæ legis præcepto  
aut prohibitione jam ante compre-  
hensæ fuerint, sive *sacra* concernant  
actus illi, sive *profana*; modo hone-  
stati convenient, i. e. Civitatis in-  
columitati conducant. Hoc autem  
palmarium imperii jus, qvomodo ad  
se sacri ordinis homines pertraxe-  
runt? Si primordia Christianæ in  
Svethia religionis adspexerimus, te-  
ste Adamo historico & Canonico i-  
storum temporum fide dignissimo,  
*Unnonis Archi Episcopi Bremensis* sub  
exemplo, *Birce Svecorum demortui*,  
dicto rebus seculi longo vale, do-  
mi-

minium & imperium adeo nullum affectabant, ut rei familiaris suæ quoque administrationem & jurisdictionem omnem, modo in procurum quemquam, modo principi civitatis penitus transcriperint; ut scientia fidei & operum disciplina Danos & Svecos, suo ipsorum ministerio, magis auspicato adficarent. Verum potestate imperiali apud exterros in papalem sensim degenerante, quibus nervis Legislatoriam protestatem ad suam societatem pertraxerunt Clerici? Postquam Principibus persuasissent illius ordinis honorem esse potentiae Civilis firmamentum, & largius se Numen infundere per calvitiem rasure eorum, quam per intonsos vertices, cum Divis semet confabulari & ad ordinandas respublicas ex cœlitum quasi concilio in terram dimissos; factum tum quoque, ut sub specie audientie Episcopalis oppido necessariæ, in amicitiam & arcana principum penetraverint, mox regni munia præcipua, & denique hanc principem imperii Civilis partem invaserint

serint(d). Atque inde arcessenda omnino illa Episcoporum in Svetia protestatio & protestationem subsequens cessatio revisionis legum Sveticarum a provinciarum Legiferis instituendæ, quam in præjudicium statutorum eorum synodalium & Pontificalium a Rege imperatam criminabantur (e). ne quid dicam de privilegiis & literis protectorialibus, vulgo ita appellari solitis, quas Regis instar, Jacobum Ulphoniidem Schogensibus monialibus dedisse perhibet *Magnus Celsius*, dissertatione historicâ nuperrime lucidata(f). Cetera exempla longe plurima, utpote in medio posita brevitätis caussa trense.

(d) *Vide Catalogum Archi. Prepositorum Lincopensium a Rhyzelio ejusd. Cathedrae antistite moderno & eruditissimo nuperrime editam.*

(e) *Meßen. Scand. Illust. III. pag. 12.*

(f) *pag. 30.*

### §. V.

**A**rces & munimenta copiis militibus

bus cuiusque Civitatis aduersus externos hostes, si victæ fuerint, præsidium, subditisque asylum esse sole-re, & proinde fundationem eorum, in quocunque imperio, ad eum pertinere, qui Majestatem patriæ gerit, Politorum patres tantum non omnes consentiunt; & id eo usque, ut quicunque invito principe, non publicæ securitatis fine, istud imperii jus occupaverit; crimen perduellionis & affectati publici regiminis ægre a se removeat. nostrorum in Svetia Episcoporum pristinum *Condominium* an hac quoque parte regni sese prodidit? In majestatem Civilem non clam odio & palam armis solum insurgebant, sed habuerunt, more Principum, Feciales hi facesque seculi, arces & munimenta sua quoque, etiam in caderibus hodienum de veterum possessorum suorum condominio testificantia: & quibus olim, si quæ imperium inter sacerdotiumque oriententur bella & contentiones, irruentes quoscunque non depellere modo,

nodo, verum etiam excursiones, quocunque tempore & occasione facere potuerunt frequentissimas. Tale castrum Episcopale, durante illorum temporum condominio, *Kustensis* insula, huic urbi vicina olim habuit, quod armata manu injustis usurpatoribus a Gustavo primo extortum Heroi illustrissimo & exercituum per magnum Fenniae Ducatum Campi Mareschallo *Baroni de STAKELBERG* commodâ hodie sedem & habitationem præbet. Sic *Gustavus Trolle* Roma redux, à Pontifice præsulis dignitate decoratus, postquam animadvertisset *Stenonem Sture*, præ patre suo *Erico Trolle*, magna existimationis sene, ad imperii dignitatem fuisse evectum, hanc patris repulsam indigne accipiens, ad arcem Archi-Episcopalem *Ståkianam* se contulisse legitur, convocataque, militari classico, sacra militia, non Principis obsidioni modo pro virili restitit, sed & oblatam a Steno ne pacem & reconciliationem temere recusavit (g). In arce *Ståkensi* se fe

se munivisse Archi Episcopos factiosos & regni æmulos perhibet auctor Gallus quoque (b) La fortresse de Steque , avoit donné lieu à l' entrée des Danois en Svede & sous les Archeveques d' Uppsala avoit toujours servi de retraite aux rebelles. Ne quid de arce Gaddeborgensi dicam, Archi-Episcopalis condominii ad plagam borealem & Gestriciam versus , sat valido munimento.

(g) Conf, Loccen, Hist. S. vita Sten jun.  
p. m. 181. seq.

(h) Histoire des revol. de Svede p. 66. & 83.

## §. VI.

**T**RIBUTORUM & collationum civilium tantam in omni republica necessitatem esse novimus, ut hoc præciso rerum gerendarum nervo, actiones & operationes totius compagis civilis penitus deficiant. Ab illa vero obligatione onerum puta, ubi principe ab ipso & calamitosis , qui misericordia quam exactione sunt digniores, discesserimus

rimus, non imbecilliores nedum  
valentiora imperii membra, si sua  
constabit civitati incolunitas, se  
subducere possunt. In *Svetbia* sacer  
ille ordo patricius, fortunis & op-  
**b**us locuples, licet plus ceteris o-  
mnibus civibus frui voluit illis com-  
moditatibus, quarum caussa confer-  
ri solent erogationes, illud a suis  
humeris quam longissime tñ. remo-  
vere officium: de ecclesiastico jure  
privilegiisqve avitis cum principibus  
expostulantes, quoties humorem,  
cum ipsis tum præcipue civitati no-  
xiuim & superfluum, exactione  
justa tributorum, extractum ivere.  
Potuit hujus usurpatio *Condomi-*  
*nii* pacis tempore utcunque tolera-  
ri, ast quod bellica urgente cala-  
mitate, quam ipsis sape conflaverant,  
cum alii omnes pro tuitione patriæ  
defraudarent genium, illi soli tanquam  
Deorum aibæque gallinæ filii extra com-  
munis belli aleam omnemqve juvandæ pa-  
triæ necessitatem positi essent, id certe  
injustum & intolerabile judicat *Orn-*  
*hielmius* (i). Et ut magis apertum  
eva-

evadat *Condominii* jus, quod ad hanc partem imperii, asseruisse sibi, non ipsi sibi solum onerum & rerum omnium immunitatem vindicarunt, sed eo non raro quoque insolentiae progressi sunt, ut exemptas omni jurisdictioni civili suas reddiderint ecclesias, quosvis Civilis ordinis & dignitatis homines modo suarum diocesum finibus, interveniente anathematis fulmine, excludendo, quotiescumque decimas non ex editto solemni suo solverent Ecclesiae, (k) modo jura ipsorum & opes & fundos, immo patrimonium imperii, quacumque sub specie religionis, importunis apud Pontificem Romanum precibus, sibi vindicando; Quapropter etiam *Messenius* incredibilia prope refert, quod de *Berone Aboensi* Episcopo scriptum vidisset, quod pendendis annuis Regi tributis Ecclesiam suam submiserit. In summa: *Adalberti, Bremeris* omniumque regnum borealium *Metropolitani* speculum vitae ab Adamo ejusdem aevi canonico confectum quis-

qvisqvis intueri voluerit, næ is  
imaginem ceterorum ejus ævi Anti-  
stитum per universum orbem Chri-  
stianum una opera intuituque per-  
videbit. Legi apud Ornhielmium  
qvoqve potest illud de moribus A-  
dalberti judicium Adami prudentis-  
simum. Nos, qvod ad hoc Maje-  
statis *Condominium* prisci ævi atti-  
net, non inconsulte cum me-  
morato Nobilissimo Ornhielmo<sup>(l)</sup>  
concludimus: Episcopos ditiones  
suas, ingentibus bonis auctas, non  
æqvare modo, sed & supra Ducum  
qvorumvis & principum fastigium  
efferre conatos fuisse, iñō multis in  
locis revera qvoqve extulisse.

(i) *Hist. Eccl. Sveo G. III. 5. 23.*

(k) conferri potest Meßen, Scand. Tom. X.  
pag. 15.

(l) *Hist. Eccl. lib. III. C. 19. 35. conf.*  
*IV. I. 17. 20. seq.*

### §. VII.

**A**Deorum demonstrandum vetus  
condominium, pertinere qvo-  
qve

qve videntur mulctæ & pœnæ pecuniariæ, qyas a legis civilis & ecclesiasticæ prævaricatoribus extorqvabant sibi qve vindicabant olim episcopi. Ad Principem, vi majestatis & jurisdictionis eminentis mulctæ pecuniariæ (*Sak-ðren*) in solidum pertinent. Leges vero ecclesiasticas imperii nostri veteres evolventi cuvis a limine statim patebit publicam disciplinam non ad principis arbitrium omnem, sed collateralem episcoporum qvoqve potestatem pertinuisse, more apud majores gentiles pridein usitato. De qvibus in Germania sua *Tacitus* testatur, qvod sacerdotibus, apud ipsos, coercendi jus fuerit. *Quod* cum ordini utilissimum videretur pietatis genus, papismo invalescente, vetus neqve abolitum aut immutatum fuit institutum. Adeo ut ullius, neqve illis temporibus, institui potuerit criminis dijudicatio aut punitio, nisi delectis pari numero judicibus a Corona & ab Ecclesia. mulctæque, qvæ a reis exigebantur, partim regni serario, partim etiam sacri magistra-

tus fisco cederent. (\*) Mansitque hoc Ecclesiasticum jus condominii ad fatalem usque hierarchiae pontificiae a Lutherro factam destructionem, dum vi solemnis decreti coenitiorum Arosiens. & auspicio Gustavi primi, immortalis memoriae Svethiæ principis, sancitum fuit, partem mulctæ pecuniariæ episcopis ceu *Condominis* olim solutam ( Biskops Gafbre ) in posterum non nisi imperio solvendam esse. Och døte icke utan under ett Herskap, empliatice sonant verba modo memoratae constitutionis.

(\*) Conf. Nobiliss. Stiernbök de jure Sveon. vetust., pag. 424. &c.

### §. VIII.

**A**D perfectam reipublicæ constitutionem in primis necessarias esse Scholas & Academias, omnes novimus; & in quacunq; orbis parte de patria juventute utilibus scientiis excolenda laborare cœperint patriæ PATRES, munimentis & auctibus lætissimis efflorescere regna eorum; quemadmodum palam quoque, emarcuisse vigorem eorum omnem

mnem, qvoties hoc imperii sacrūm  
negligentius curarint & ab aliis po-  
tius qvam ipsis se peragi siverint.  
Longum foret per exempla ire. Suf-  
ficiat dixisse, qvod postqvam omnis  
doctrinæ professio penes Pōtifices &  
in subjectione cœcæ obedientiæ Cle-  
ricalis esse cœpit, studia humani-  
tatis, & in illis, *genuine Politicæ* pe-  
nitus corrup ta fuere: juventus pa-  
triæ aduersus legitimum imperium  
animata, & doctrinis perfidiæ plus  
qvam Punicæ, ad stabiliendum in  
cōscientias & principes dominatum,  
solicite imbuta fuit. Hanc vero,  
si qvam aliam, principem imperii  
gemma diademati Regum avulsam,  
pedo suo integrum prope inseruere  
Svethiæ olim Episcopi. Atqve inde  
est qvoqve, qvod *Upsaliensis Academiæ*  
institutio, privilegia & immunita-  
tes *Pontifici* & *Archi Episcopo* tum  
temporis *Jacobo Ullphonidi* in solidum  
adscribantur. seculari potestate *Ste-  
nonis Sturii* decretum Episcopale, bra-  
chii instar, executioni tantum de-  
mandante. Cetera Jura majestatis con-

minii clericalis exempla non adduco, cum hæc abunde sufficient

### §. IX.

**U**Tut valida satis & ad Condominium *Clericorum* probandum maxime idonea in præcedentibus sigillatim jam adduximus indicia & documenta; validiora tñ. adhuc & magis stringentia, licet pauciora, proferre non pigebit. Administrationem, qvam cum in spiritualibus tum qvoqve temporalibus (uti sonant verba bullæ papalis de auctoritate modo citati Archi-Episopi) sine ullo fundamento, sibi tribuebant episcopi, si penitus introspexerimus, eo fastigii nimiam eorum surrexisse deprehendimus ambitionem & proterviam, ut non tantum Regi in imperando æqvales, sed & illo superiores haberi desiderarint, non tantum Condominium, sed & summam regni dictaturam anhelantes. qvasi sacrorum in lecclesia procuratio externa, qvam principi debent, ejusqve nomine gerunt, imo cum munere sacerdotii semper fere

con-

juncta esse solet, non extra procura-  
 rationem reipubl. plus curæ nego-  
 tiive ipsis facessat, qvā cui ferendo  
 humana imbecilitas eorum par sit.  
 In Ecclesiasticis rebus certe limites,  
 qvibus munus eorum ordinarium  
 circumscriptum erat, transilire par-  
 vi ducebant, prætexentes nemini  
 extra sacrum ordinem constituto,  
 h. e. nulli Principi, nisi Romano  
 pontifici, ejusqve per orbem Chri-  
 stianum legatis potestatem esse con-  
 cessam & sacrorum jus supremum.  
 Negotia tantum non omnia, præ-  
 fertim qvæstuosa, sive religionem  
 spectarent, sive non, qvibusvis cu-  
 niculis ad suum forum trahebant,  
 ut vires & instrumenta imperii tur-  
 bandi ipsis, ferente re & occasio-  
 ne, nullo modo deessent. Ut taceam  
 potestatem clavium, qvam in qvos-  
 cunqve promiscue, iñmo ipsos quo-  
 que principes non raro ex sua sæpe  
 indignantis animi sententia, legi di-  
 vinæ inconvenienter, olim episco-  
 pi distrinxere, neglecto omni ordi-  
 ne & genuino processu, divina le-  
 ge signato; spretâ matura delibe-  
 ratione

tione & debita circumspectione intam gravi & periculoso, per omnes circumstantias, negotio. Quemadmodum commendat in annalibus suis ecclesiast. *Baronius* Cardinalis pietatem *Svenonis Estritsonii* Daniæ regis, qvi ob cædem perpetratam excommunicatus a *Wilhelmo* Episcopo, ut inusitatam antistitis clementiam denuo experiretur, nudis pedibus in templi atrio prostratus absolutionem efflagitavit. Verum cum excommunicationis actus ille in suis circumstantiis consideratus, rationem poenæ civilis prorsus habeat, ejusdemque non civium alicui, ne dum Principi infligendæ potestatem superne ullam habeat Clerus, quid de episcopi hoc facto vere sentendum sit, obscurum nemini esse potest.

### §. X

**I**N secularibus rebus demum *Svetbici* regni Antistites auctoritatis suæ limites ita extendebant, ut efferre se supra alios, Regibus ipsis dare

dare leges, ferre in eos sententiam, regno exuere, mittere in exsilium; in eos autem, qvi infinitam coērcere ambitionem forte auderent, insurgere, a sacro isto, qvo fulgebant, munere neutiqvam alienum putaverint. Hujus rei exempla affere possemus multa, si terminos, qvos instituto nostro præscripsimus, transgredi fas esset. Qvi anno MCCCLXIII. sumam rerum in Svevia tenuit, *Magnus Smeek*, non aliam magis ob causam regia privatus est dignitate, qvam qyod immodicæ ambitioni horum hominum (qvos inter nomen profitebatur, dum vivebat, *S. Hemmingus Aboensis* præsul) ponere limites in animum induxisset. Qvi prolatum citat exemplum, de cetero qvoqve, fidem pro me dictis hisce conciliabit *Joh. Franciscus Buddeus*, Jenensium hodie Theologus, & litterarum, qvæ ad humanitatem pertinent, hodierni ævi vere delicium, qvem *patria* civem sibi non *ipsa* minus gratulatur, qvam summo cum honore *ipse* mentionem facit regis regniqve *Svetbia*,

*cui*

cui pulcherrimo fædere dulciss. patria sua  
Pomeraniam puta, conjuncta sit. Illius  
vero in hanc eandem rem judi-  
cium (m) tale est: *In Episcoporum,*  
*inquit, facinora inquirere piaculum o-*  
*lim fuit: Et, ut quis regno ejiceretur,*  
*sufficiebat displicere Episcopis.* Callidior  
reliquis Margaretha, trium regnum  
septentrionalium regina, prospera usq;  
est fortuna; quod faventes sibi propitios-  
que haberet Episcopos. Carolus contra  
Canutsonius, toties aut regno spoliatus  
aut eidem redditus est, quoties Episcopis  
hoc placuit. Etenim, cum Episcoporum  
suffragari, in omnibus, voluntatibus nollet,  
evocarunt contra illum Christianum I.  
Danie regem. Idem novi regis mox per-  
tæsi, læsamque Episcopalem majestatem  
rati, quod Upsilonensem archipræfulem ca-  
ptivum in Daniam abduxisset, revoca-  
runt Carolum, statim iterum expellendum,  
cum Christianus rationes placandi iratum  
Upsilonensis Archiepiscopi animum invenisset.

(m) Concord. Rel. Christ. Statusque Civi-  
lis Cap. IV. §. 15. p. 159.

## CAPUT II.

## §. I.

**V**I sis sic qviden leviter *Clericorum* in Svetia olim Condominii constituendi & gerendi modis, eorumque, præ ceteris civibus, ad regnum suæ ambitionis plus quam gloriæ Div. dilatandum, studio & nisu Herculeo: ad alterum illud Condominii genus, qvod *Laicorum* ab initio diximus, transitum facturi non alienum ab instituto nostro fore arbitramur in ipsas desertæ olim libertatis naturalis cauñas inqvire, qvibus adacti, sub alieno, puta civili imperio, homines coaluerunt. Inde n. fundamentum qvod spero habituri erimus illius Condominii, qvod cives sibi *privatum* multis in locis pridem assuerunt & hodie quoque passim retinent.

## §. II.

**V**Itæ conditionem, in qua vixerre homines, anteqvam de subjectione Civili cogitare inciperent, ex suo ingenio quisque, si considerave-

raverimus, plenam illam turbæ, metus ac injuriæ fuisse, vulgo notum est: & proinde indigentiam, necessitatem atque metum caussam fuisse genuinam, cur ex infida & insidiosa illa, quamvis libera, vitæ conditione in principis imperium primi mortales transierint. In illo vero ad effectum promovendo necessario consilio, cum legregum familiarum modo capita præsumi nullo modo possunt, uno eodemque momento oblivisci potuisse pristini status sui libertatis & independenciarum; & proinde ab initio, Principi novo, illa saltem jura pristinæ majestatis suæ domesticæ contulisse videantur, quæ externam saltem familiæ incolumitatem respicerent, iis partibus, quæ domi se in primis exercerunt, illibatis & sibi intra familiam in posterum quoque reservatis: Hinc arcessendam, quasi ex suo quodam fonte existimamus usurpationem longam in familiis privatis eorum jurium, quæ temporum progressu & moratorum gentium contentu, ceteris partibus civilis imperii

rii, maximam partem, hodie annumerantur: in aliis atque aliis regionibus tamen, ubi liberior reipublicae species invaluit, nonnulla ex arbitrio civium privato etiamnum dispensantur.

### §. III.

**Q**uod ad *Romanos* attinet, ex historia illius gentis oppido manifestum est, quantum in unius principis imperium nondum transiisset libertas populi, ex illis iuribus, quae maiestatem domesticam olim constituerent, multa etiamnum integrum habuisse: ita ut videri possit maiestas patriæ illorum temporum, saltem quoad actus *immanentes*, cives inter æqualiter distributa, ejusque sibi afferendæ potestatem æqualem singulos habuisse: quomodo non instar privati modo, sed ut membrum regens quoque considerandus *civis*, & imperium ejus non mere *privatum* & *domesticum*, sed ex parte etiam pro *publico* habendum venit.

### §. IV.

**R**omanorum institutorum horum, quo ad praxin saltem, ceteras gen-

gentes plane ignaras fuisse tanto ambigendum magis, qvanto æmulationis ab ipsis sollicitius institutæ testimonia longe plurima suppetunt. In veterे *Latio* ( ne qvid memorem de licentia extra familiam impune grafiandi in aliorum vitam ) potitas *beritis* jure vitæ & necis sane intructa fuit, Civium in republica compenantium supremo regali. Vi illus potestatis non servos modo suos pro iubitu castigabant, affligeabant & suæ voluptatis victimam neci devovebant; sed in filios etiam ceteramqve familiæ sobolem, si qvam in suspicionem ingratitudinis aut impietatis devenisset, idem arbitrium exercebant. Exemplis illustrati plurimis potset rei veritas non Romanorum modo (n), sed & veterum Gallorum (k) aliarumqve gentium, si temporis angustia permitteret, neqve extra dubitationis aleam res multo ante posita esset.

(n) *Puffendorf. de I. N. E. G.VI.* 2. 12.

(k) *Cæsar. Comment. B. G. lib. II. confer.*

*Dent. 21. 19.*

## §. V.

**Q**uod ad Svecos attinet, & veteris Scandinaviae ceteros incolas, licet rariora in illis exempla prostant, juris illius extremi, pari cum crudelitate exerciti, puta *vite & necis* (o): non dubitandum tamen, qvin in illa temporum simplicitate, anteq; in minores civitates primorum temporum coalescerent, Hobbesianum illud, ex appetitu sensitivo deductum, moralitatis fundamentum cum suis consectariis per naturam ipsis, perinde atqve aliis gentibus notum fuerit; cuiusqve intuitu non matres solum, sed & patres sibi potestatem vindicaverint occidendi ne an conservandi vitam eorum, qui demestici juris & privati peculii *res* existerent. Certe veritati consentaneum qvam maxime videtur, post qvam in civitates minores sub regulis: *Fydis & Nåås- Hungar* plerumqve appellatis, mutuae securitatis caussa coaluissent, non illos modo primos *Cives*, sed minores cœtus qvoqve præsertim capita eorum, cum

cum necessitate urgente, in majores  
maioresq; civitates transiſent, vete-  
ris non adeo dememiniſſe libertatis,  
ut abſoluto & arbitratio unius do-  
minio ſe & omnia ſua priſtina jura  
mancipaverint. Ita vero rem ſe ha-  
bere penitus, & in *Svetbia*, qvem-  
admodum ceteris orbis partibus ob-  
tinuiſſe olim *Condominia* civium, te-  
ſtantur non annales & exempla (c)  
ſolum antiqviorum (p) & recentio-  
rum temporum (q). ſed ipſæ leges  
demum ſtipulantes impunitatem pa-  
tri & matri familiās omnimodam  
plane, ſi qvid in ſervum durius con-  
ſuluiffent: Kune Bondin ella huus  
fruu ella barn thera trålin nogot giō-  
ra, hwad thet år ella i dråpum ella  
i fårum, war i alt ogilt i alla Lagum:  
teſtantur mancipiorum yenundati-  
ones, qvarum exercendarum po-  
teſtatem *Magnus Smeek* rex Veftro-Go-  
this penitus detraxit (r) carceres et-  
jam ædesque dicurdo juri, olim  
destinatæ & qvæ in palatiis nobili-  
um pervetustis etiamnum viſuntur:  
(c) teſtantur Leges nullam corpo-  
ris

ris afflictioni liberorum , si modum parentes excesserint , pœnam præfigentes : & denique liberos immo-  
rigeros abdicandi & exhæredandi potestas , qvam in plerisque civitatibus , etiam nostra republica pa-  
tres hodienum exercent , & extre-  
mam pœnam censet *Pufendorfius* , qvæ  
a patre , ut tali , infligi potest ; nos  
autem inter reliqvas illas , qvas  
translato in **Civilem** majestatem im-  
perio domestico , patres domi suæ  
retinuerunt , plane referendam cen-  
semus . Sed manum de tabula verbo:  
postqvam civitati nostræ , perinde  
atqve suæ reipubl. olim Romani ,  
gratulati fuerimus , qvod sublatis  
discordibus principatibus , ad **PRIN-**  
**CIPEM AUGUSTUM** summa rerum  
rediit.

(o) *Taciti German. Cap. 25.*

(\*) *Principum utriusque sexus Svetiorum exempla obvia , qui in aliena  
republica privatam agentes vitam , do-  
mesticos & cives suos delinquentes ca-  
pitis etiam pœna mulctarunt.*

(p) *Tacit: Germ. 25.*

(q)

(q) *Stiernbōk de Sveonum jure vetusto p.*  
226.

(\*\*) *Stiernbōk lib. Cit. p. 216.*

(r) *Messen. Scand. annal. p. 178.*

(s) *Stiernbōk de jure vetust. Sveon. pag.  
171.*

